



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

142. An libri Catholicorum cum explanatione Hæreticorum, &
Commentariis sint prohibiti? Ex p. 5. tract. 13. & Misc. 1. res. 16.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et Potestate Inquisitorum. Ref. CXL. &c. 469

non retinere. Et ita etiam docet Sanchez in *sum. to. 1. lib. 2. c. 10 n. 56.* & Suarez ubi *sup. tract. de fide disp. 20. sect. 2. n. 23.* & alij.

RESOL. CXL.

An in retentione librorum hereticorum detur paritas materia; ita ut qui per unum, vel duos dies retinetur librum prohibitum, non incurrat in excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel Indicis? Ex part. 5. tract. 5. Ref. 43.

§. 1. **A**D hoc dubium Suarez *tract. de fide, disp. 20. sect. 2. num. 22.* respondet distinguendo, quia vel retentio procedit ex voluntate absolute retinendi librum, & tunc dico quamcumque retentionem esse peccatum mortale, etiam si mutata voluntate brevissimo tempore durer; Hoc probat ratio facta, quia voluntas illa, peccatum mortale est, & ab illa procedit exterior retentio. Alio vero modo contingere potest, ut aliquis habens propositum tradendi librum, in executione sit negligens per aliquam brevem moram, & tunc facile poterit excusari à culpa mortali, tum quia in voluntate non habet propositum contrarium præcepto, & negligentia potest esse levis, & ipsa mora est quasi materia illius omissionis, & ideo ex brevitate potest esse levis, ac denique illa non est tam retentio, quam dilatio, quæ interdum potest excusari ab omni culpa, si ex rationabili causa fiat. Ita Suarez, cui adde Hurtadum de Mendoza *vol. 1. disp. 76. sect. 1. §. 12.* ubi sic ait: Peccant contra hanc legem, qui libros retinent, si enim liber sit proprius, si alienus, si cum calleat, si ignoret omnino, labitur in hanc poenam, nisi exiguo tempore id faciat: si enim decernat post breve tempus librum tradere, non est peccatum mortale, secus si uno instanti habeat actum retinendi librum longo tempore. Sic ille.

2. Sed contraria sententia mihi magis placet, pro qua in *1. p. tract. 11. ref. 30.* adduxi Sanch. & Duardum, quibus nunc addo Reginald. in *praxi tom. 1. lib. 9. c. 14. n. 256.* & Castrum Pal. *tom. 2. tract. 4. disp. 2. punct. 10. §. 2. n. 11.* quia gravitas retentionis non desumitur solum ex libro, qui retinendus est, quod inde constat, nam si haberes voluntatem retinendi una hora librum, & statim illum tradendi, non video qua ratione quis dicere possit, te gravem culpam commississe. Requiritur ergo ad retentionem gravem mora temporis: ergo si tempus, quo de facto retines librum, breve est, etiam si voluntatem haberes longo tempore retinendi, retentio illa exterior levis censeri debet, ad effectum incurrendi censuram, quia non incurritur censura ex voluntate retinendi, sed ex voluntate executioni mandata, quæ cum non sit integra, & in materia gravi exercita, sed in materia levi, non sufficit ad incurrandam censuram: ergo, &c. Et ita hanc sententiam docet etiam præter Doctores citatos Iacobus Gordonus in *sum. tom. 2. lib. 2. quest. 13. cap. 8. §. 3. num. 81.* Si quis igitur per unum, vel duos dies retinet librum prohibitum, non incurret excommunicationem Bullæ Cœnæ, vel Indicis.

RESOL. CXLI.

An privilegium ab Inquisitoribus huius Regni Sicilia ad legendos libros ab ipsis prohibitos, possit uti hoc privilegio in alio territorio, v. g. in Regno Castella? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 100.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Suarez de *legib. lib. 8. cap. 26. n. 8.* quem sequitur Laurentius Tom. V.

Portel. in *dubii Regular. ver. libri prohibiti, num. 4.* ubi sic ait: Lusitanus habens licentiam legendi libros specialiter prohibitos in sola Lusitania, non potest eosdē legere ubique existens. Si illi in Castella, v. g. sunt specialiter prohibiti, non poterit ibi illos legere absque licentia Tribunalis Castellæ, pro S. Officio, & sic contra de Castellano existente in Portugallia, quia sunt territoria diversa. Unde privilegiatus ut portet arma vetita in Portugallia, non est privilegiatus ut portet illa in Castella eadem ipsa. Et privilegium unius Episcopi non potest derogare privilegio alterius Episcopi. Ita Portel, satis quidem probabiliter.

2. Sed his non obstantibus affirmativam sententiam tenet Hieronymus Rodriq. in *compend. q. Regul. ref. 92. n. 2.* & ante illum Emanuel Rodriq. in *sum. o. 3. c. 250. n. 4.* cum Navarro *tom. 2. tit. de priv. consil. 6.* & ratio est, quia hæc facultas nihil aliud continet, quam gratiam? gratia autem quæ personæ confertur personam sequitur, & cum persona extinguitur, *cap. sone, de priv. vil.* Deinde hæc sententia suaderi ex eo potest, quod facultas ab eo data qui jurisdictione fungitur, non tantam vim habet in suo territorio, quam in alieno, cum in hac parte jurisdictio quæ exercetur in facultate data, non ad contentiosam, sed ad voluntariam jurisdictionem pertineat. Sed jurisdictio voluntaria etiam extra proprium territorium, potest exerceri, veluti excommunicare, absolvere, beneficia conferre, litteras dimissionis concedere & similia: ergo, &c. Sed ut verum fatear, prima sententia mihi magis placet, non tamen damnarem hanc sententiam secundam sequentem.

RESOL. CXLII.

An libri Catholici cum explanatione hereticorum, & commentariis sint prohibiti? Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 16.

§. 1. **P**rima opinio est Patris Suarez de *fide disp. 20. sect. 2. num. 13.* asserentis hos libros esse prohibitos si scholia hereticorum sint magna, secus si essent exigua.

2. Secunda est opinio Sanchez in *summa, tom. 1. lib. 2. cap. 20. num. 25.* ajentis tales libros non esse prohibitos, licet in se contineant scholia hereticorum magna, quia semper talis liber dicitur Auctoris Catholici.

3. Tertia opinio est Hurtadi de Mendoza in *2. 2. disp. 56. sect. 8. §. 303.* ubi existimat utramque sententiam in parte esse veram, bifariam enim scribitur in alicujus auctoris librum. Primum, ut nihil scribatur, nisi faciens explanationi textus, à quo non possit nisi incommodè Commentarius abjungi, ut Commentaria Caietani non possint abjungi à textu Thomistico, quia tota sunt ad explanandam argumentorum vim, oppugnanda adversariorum dicta, & methodum explicandam. Hi libri non sunt prohibiti, quia absolute sunt & dicuntur S. Thom. & non Caietani, si Commentaria sint proluxa, si vera minuta: parum enim interest moles. Quod si considerandum est præcipue quid contineant, quid interest magnitudo, aut paritas, cum in parvo libello possint plures hæreses doceri, quam in alio magno volumine. Si autem præter explanationem alia disputet hæreticus non facientia textui explanando, sed quæ abjungi commodè possunt, liber est interdictus, quamvis sit exiguus, quia verè est ab hæretico auctore. Sic ipsius Patris Suar. Commentaria ab ipso, non à S. Thoma denominantur, complura enim disputat, quæ jam non spectant ad explanationem. Itaque scripta illa à quibus non pendet auctoris Catholici explicatus, sunt prohibita, & liber ob illa, Alioquin occasione explanandi textum, possent hære

hæretici omnia sua dogmata disputare ut scholastici Doctores sua disputant, cum Magistrum, aut S. Thomam explicant. Hucusque Horradus *De. cit.*

RESOL. CXLIII.

An quis possit legere libros prohibitos securus, quod nocuum non accipiet ex eorum lectione?

Et an non solum libri hæreticorum damnentur, qui continent falsam doctrinam contra fidem, sed etiam minime de Religione tractantes, ut sunt Dialectici, Rhetorici, Grammatici, &c. Ex p. 6. tit. 6. & Misc. 1. Ref. 49.

Sup. hoc in §. 1. Ref. seq.

O Lim Romæ à quibusdam, & Panormi à Viro ingenio & docto de hoc casu interrogatus fui, & cum negative responderet, instabant tunc vehementer asserendo ex doctrina, quam ego adduxi in p. 1. tract. 10. resol. 28. probabiliter posse affirmativam sententiam defendi: non ignobiles Auctores tenent: ut ibi pater, legem non obligare ejus sine deficiente: quod etiam invenio docere Audream de Area in tit. de constitut. cap. 1. num. 301. Sed in nostro casu finis legis deficiebat, nam ipsos legentes tales libros certum erat ex eorum falsa & damnata doctrina nullum posse nocuum accipere: erant enim viri docti & piissimi, Ergo, &c.

2. Sed his non obstantibus respondi supradictam doctrinam non valere in casu nostro: nam procedit, quando lex unum solum finem habet, ex quo Legiflator movetur ad prohibendum aliquid: secus vero si lex habet plures fines; nam deficiente vno, obligatio legis non deficit, sed talis est lex libros damnatos prohibens: ergo, &c. Vnde sciendum est Ecclesiam in prohibitione librorum damnatorum plures fines habere: nam prohibet illos, ut hoc modo quasi medicina quadam præveret fideles ab hæreticorum contagio, & ne damnatorum librorum lectione, veluti veneno quodam pestifero Catholici inficiantur: & idè ob hanc causam olim in primitiva Ecclesia prohibebatur fidelibus ne Gentilium libros legerent, teste Clemente lib. 1. constit. Apost. cap. 6. & idè ex Concilio Carthaginensi I V. cap. 16. Ecclesia præcipit, ne fideles communicent verbis cum hæreticis: ergo multò magis potuit & debuit præcipere, ne cum ipsis communicent libris & scriptis cum hæc communicatio magis soleat nocere, quam quæ fit solis verbis; libri enim scribuntur majori cum consideratione, eloquentia & eruditione, ac propterea magis permovere solent Lectores ad illorum falsam doctrinam amplectendam.

3. Verum Ecclesia in prohibitione dictorum librorum non habuit hunc solum finem, nempe ne Catholici falsa doctrina ex dictis libris inficiantur; sed etiam legem illam statuit in pœnam Authorum damnatorum: non enim levis est pœna in eorum libros nigrum præfigere Theta, & sub censura prohiberi ne legantur, ad obsecrandum & abolendum eorum nomen, & ne hoc afficiantur honore, ut inter manus Doctorum hominum voluuntur. Igitur lex prohibens sub censura lectionem librorum damnatorum semper obligabit: nam licet deficiat in aliquo casu particulari finis dictæ prohibitionis, nempe periculum & nocuum, quod ex lectione dictorum librorum prohibitorum contingere potest: adhuc tamen semper remanet alius finis prohibitionis, nempe pœna auctoribus damnatis imposita ad eorum dedecus, ne eorum libri legantur.

4. Vnde ex hoc apparet, quod non solum libri hæreticorum damnantur, qui continent falsam doctrinam contra fidem, sed etiam minime de Religione tractantes, ut sunt Dialectici, Rhetorici, Grammatici, &c. In quibus libris nullum est periculum, ut Lectores eorum lectione ad hæresim pertrahantur. Et idè Sanctarellus

tract. de hæres. cap. 14. dub. unico num. 4. merito asseruit omnes libros hæreticorum prohiberi in pœnam illorum Auctorum, quamvis hæresim non continent, ut etiam habetur in reg. 2. Indiciis. Et Soula in Bul. Gen. 2. disp. 13. n. 11 rectè observat lectionem librorum prohibitorum in odium Auctoris interdici. Igitur de hoc non est dubitandum, & aliter sentientes in nostro Sacre Inquisitionis Tribunali severe puniendos esse existimo. Adde quod aliqui viri docti asserunt lectionem librorum hæreticorum esse de se inducivam ad inficiendos animos legentium. Ergo semper eorum prohibitio obligabit.

RESOL. CXLIV.

An quis possit legere libros prohibitos, si sciat certum illum illos nocuum non esse illi auctori?

Et si quis doceret peccare, & in censuram incurrere legentes libros ab Inquisitoribus prohibitos, etiam si verum non continerent, & non esse absolvendos à Confessione retinentes libros hæreticorum.

Sed inferitur, quod cessante fine legis in particulari casu, pro ipso lex non obligat. Ex p. 1. tit. 1. & Misc. Ref. 1.

§. 1. **R**everendissimus Abbas Ioannes Caramuel, propter scientiam, ingenij acumen, & eruditionem satis quidem notus, novissime edidit suam Theologiam fundamentalem, in qua aliquando nostras impugnat opiniones; & idè circa præsertim difficultatem nominatim contra me affirmativam sententiam tenet fundament. 17. §. 2. numero 434. ubi sic ait: Probabile est, cessante fine legis in aliquo particulari, cessare etiam legis vim, & obligationem in illo particulari: At finis legis interdicentis lectionem librorum hæreticorum cessat respectu illius, qui est ita doctus, & pius, ut præcavari non possit: Ergo respectu ejusdem cessabit etiam ipsa lex.

2. At Diana addit eosdem libros interdici ad ignominiam Authorum; & dicam hoc non videri verum nec ad rem.

3. Non verum, quia eosdem libros si sint correctionis capaces, expurgatores corrigunt, & correctos permittunt. Sub annum 1632. evulgabatur in Hispania expurgatorius liber, qui non omnino indoctus, sed quia fuerat à P. Pineda concinnatus rejiciebatur à Societatis æmulis, quasi correctores in ipsos non rationes, sed affectibus dirigerentur, & in ipso legisse me meminimus, eum librum non esse prohibitorium, sed concessorium, utpote, qui libros alios, interdictos ratione errorum, erroribus expunctis concedebat. Ergo opinione ipsius inquisitionis librum expurgatorium evulgantis, libri interdiciuntur ratione periculi: Nam etiam si corrigantur errores, adhuc Authores manent hæretici, & pertinaces, ut antea nec debent aliter amari, quam antea.

4. Nec contra hoc militat hæreticorum librorum Grammaticos, Rhetoricos, Dialecticos, & Philosophicos interdici, nam hos Diana existimat nullam continere hæresim, sed hoc idè existimat, quod maxime habet, rati enim hinc mittuntur Grammatici nec habet, rati enim hinc mittuntur Grammatici in Italiam, sed fallitur doctissimus vir, nulli enim sunt, qui plures errores, & hæreses habeant; Libri Theologorum hæretici, ut plerumque sunt, aut alteram promovere conantur, ac liberales libri plerumque.

5. Non aliter potest Grammatica, Rhetorica, & Dialectica, quam exemplis tradi, & per talia heterodoxa hæresim ut exponant, ubique statui Ecclesiastico